Quelle: https://manuscripta.at/?ID=928
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



uatur quod edificacionem ex deo habemus: domum
non manufactam eternam in celis. Nam et in hoc
ingemiscimus habitacionem nostram que de celo est
superindui cupientes: si tamen vestiti non nudi
inueniamur. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo
ingemiscimus grauati: eo quod nolimus
exspoliari: sed superuestiri: ut absorbeatur quod
mortale est a uita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum
deus qui dedit nobis pignus spiritus. Audientes
igitur semper et scientes quia dum sumus in corpore
peregrinamur a domino: per fidem enim ambulamus
et non per speciem: audemus autem et bonam voluntatem
habemus magis peregrinari a corpore
et esse ad dominum. Et ideo enitimur sive
absentes sive presentes placere illi. Omnes enim
nos manifestari oportet ante tribunal xpi.
ut referat unusquisque propria corporis sui: prout
gessit sive bonum sive malum. Scientes igitur timorem domini hominibus suademus: deo autem
manifesti sumus. Spero autem et in conscienciis
vestris manifestos nos esse: per eundem xpm dominum
nostrum. Et

Secundum Matheum

Exeuntes pharisei: consilium faciebant aduersus iesum
quomodo eum perderent. Iesus autem secessit inde: et secuti sunt eum multi: et curauit
eos omnes. Et precepit eis ne manifestum eum
facerent: ut adimpleretur quod dictum est
per ysaiam prophetam dicentem. Ecce puer meus
quem elegi: dilectus meus in quo bene placuit
anime mee. Ponam spiritum meum super eum: et iudicium gentibus annunciabit. Non contendet neque